



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Humilitatem vti basin omnium virtutum, Christum nos suæ humiliatione
docuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

se apostolorum, si ad se prior venisset Dominus Iesus lauandum. Verum vbi correptum audiunt Petrum, pro eo quod resisterat lauanti, æquanimiter singuli Dominum se humiliantem admittunt. Vide autem perfectionem humilitatis Christi, quando quidem ad pedes proditoris sui quoque lauandos, tergendos, osculandosq; sese inclinat mundi creator, vniuersorum dominus, iudexq; viuorum & mortuorum. Nullo enim modo à generali hoc beneficio illum excipi aut sequestrari voluit, crimen illius occultum, famamq; eiusdē illi seruans. Expleto humilitatis Christi ministerio, cum resumpisset Iesus sua vestimenta recubuisseq; ad mensam sedens denuo, quare hæc fecerit apostolis reddit rationem. Nam scitis, inquit, quid fecerim vobis? id est, scitis cur me vobis aded humiliauerim? cur pedes lauerim vobis? Absque ratione non est, quàm tamen nisi audieritis, fructuosum esse non potest quod feci vobis. Vos vocatis me, magister & Domine, &c. Explicat rationem quam obrem discipulorum lauerit pedes. Vos vocatis, inquit, me magister & Domine, & bene dicitis, &c. videtur se hic commendare Dominus, verum sciendum, vbi superbiendi aut sibi placendi abest periculum, sui commendatio non est illicita. In Christo autem nihil formidandum erat periculi, neque enim fieri potest vt extollatur qui summus est, cunctisq; præminet. Dominus etiam Iesus vt hic se commēdaret, operæ precium erat, quo rationem suæ humiliacionis inferret, & potentius humilitatis charitatisq; nobis persuaderet virtutem: Hoc enim infert: Si ego tantus, Dominus & magister vester, vobis laui pedes, quanto magis vos alter alterius debetis lauare pedes? Exemplum enim imitandi dedi vobis, hoc est, vt similia alterutrum faciatis, meo ego vos exemplo docui. Debet autem hoc non de pedum lotionem duntaxat, sed de omni etiam officio humilitatis, charitatisq; obsequio intelligi vt seruiamus humiliantes nos alter alteri: & nemo se fratri præferat, sed simus omnes vnu in charitate. Vnum enim corpus multi sumus.

Humilitas Christi quæ fuerit perfecta.

Commendatio sui quando non sit illicita.

Humilitatem vni basin omnium virtutum, Christum nos sua humiliatione docuisse.

ANte Sacramenti institutionem præcedere voluit Dominus in apostolis lotionem pedum, quo doceret, mundissimos nos esse debere nō solum ab opere illicito, verum à terreno etiam affectu, ituros ad altare. Deinde quanta nos coniungi voluerit charitate, discendum est. Nam aded se humiliavit Dominus maiestatis, vt piscatorum etiam pedes lauaret, quo humilitatis suæ nobis ostenderet exemplū. Sine humilitate namq; possibile haudquaquam est seruari charitatem. Præcepturus igitur charitatem, præmonstrauit opus humilitatis quo doceret nos humilitati præcipuum impendere studium. Hæc enim est basis atq; fundamentum aliarum omnium virtutum, sine qua reliquæ virtutes omnes præcipuè autem charitas, ruent. Assuesce igitur ad obsequia fratrum humilia, eaq; cum magna hilaritate perfice, sciens eadem quo viliora sunt ad que te humilias propter consolationem proximorum, tanto esse eadem nobiliora, potioraq; ad charitatem instrumenta. Est itaque Christi nos docentis intentio, vt per charitatem seruiamus alterutrum, adeoq; in hoc nullus sit respectus sui ipsius, aded omnis absit extollentia, vt qui maior sit nostrum, sit etiam minister noster.

Humilitati cur precipuum impendendum sit studium.